



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XIII. De timore poenarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

rum interest occisionis factionem tolerare vel emendare. Si parentes non habeat, cum sociis se purget, vel ieiunium ineat si opus sit, & * applicent ad cor sed, & fiat inde voluntas Dei. * applicent

X.

Monachus ecclesiasticus non debet aliquam de homine occiso per solutionem exigere vel emendare, quia cognationis suæ legem exiit, cum se regularis conuersationis disciplinæ mancipauit.

XI.

Si sacerdos aliquando falsus testis vel in aliquo confesserit, deponatur, & omnium bonorum societate, dilectione careat & honore, si non erga Deum & homines dignis pœnitentiæ fructibus secundum sui episcopi iussionem præparetur ad veniam, & emendationis & legalitatis plegios deinceps inueniat. Si se purgare velit, secundum facti mensuram sit, vel per triplicem negationem, vel per singularem.

XII.

Et volumus, vt quicumque sunt in ordine clericatus constituti, puris mentibus inclinentur singulariter ad eam rectitudinem quæ ipsis pertinet: & saltem ministri Domini pontifices, abbates, monachi, monachæ, canonici, nunnæ, regulariter uiuant. Diebus & noctibus sæpius & assidue clament ad Deum pro Christiani necesse populi, & ei digne seruiant, & castitatem diligant. Quia, vt perfecte sciunt, non est rectum vt causa cohabitandi cum mulieribus habitent: & qui super his abstinebit, & castitatem seruabit, ad perfectum sempiternam Dei misericordiam habeat, & ad honorem sæculi taini lege dignus sit.

XIII.

Et omnis Christianus pro timore sui Creatoris iniustum concubitus vitet, & legem Dei teneat.

XIV.

Vnde commonemus, petimus, & in nomine Dei precipimus, vt nemo in parentela sua intra sextam generationem vxoretur, nec in dimissa cognati sui qui intra sextum geniculum pertineat ei, nec in cognatione vxoris suæ, nec commatrem vel filiolam suam, nec sanctimoniam, nec repudiatam aliquis ducat vxorem; nec cum meretricibus